

denti aliquo, producunt diversas species, quas non oportuit primo die creari, quia illi sunt partus quasi monstruosi, accidentales, vel artificiales, non simpliciter a natura provenientes, ideoque directe ab auctore naturæ non oportuit fieri, sed solum in potentia et virtute seminum relinqui. Similiter quæ per degenerationem, et corruptionem in aliam speciem transeunt, ut ex tritico, lolium, siligo, vel alia similia grana, vel ex putredine terræ gignuntur virtute solis, non oportuit tunc fieri, quia nihil via corruptionis in prima institutione fiebat, sed quæ vigore, perfectioneque naturæ fieri possunt. De quantitate in qua creata sunt, dicimus per totam terram sparsim creatas esse plantas, quia Scriptura non pro ista, vel illa terra determinate, sed absolute dicit, quod protulit terra herbam, etc. sed non omnes plantas in qualibet regione, sed juxta distributionem accommodam unicuique regioni attribuendo eas, quæ illi temperamento conveniunt, et quorum semen necessarium erat, ut postea tales plantæ propagarentur.

XXIX. De qualitate autem in qua conditæ sunt plantæ, an omnes cum fructibus, et soliis productæ sint, an non, communiter tenetur cum fructibus esse productas, ut etiam D. Thomas significat quæstione sequenti, articulo II ad V. Et hoc rationaliter, tum quia textus dicit protulisse terram lignum faciens fructum et habens semen secundum speciem suam, constat autem quod semen plurimarum plantarum in ipso fructu est, ergo si arbores, seu plantæ productæ sunt cum semine, etiam cum fructu productæ sunt, sicut animalia, et homo producta sunt in statu habili ad generandum, et consequenter cum semine: tum quia in paradiso (qui ut dicit textus capite II, plantatus fuit a principio, at-

que adeo, vel hac tertia die, vel uno ex his sex diebus) arbores cum fructu, eoque maturo, et suavi productæ sunt, de illorum quippe fructu vescabant homines, ut Scriptura dicit, ergo pari ratione etiam extra paradysum cum fructibus creatæ sunt arbores, saltem in aliquibus locis, ut haberent homines, et animalia, sustentationem opportunam.

XXX. An vero omnes arbores, et plantæ ubique terrarum cum fructibus ortæ sint, an solum in aliquibus locis, respondetur verisimile videri posse non ubique eodem modo esse productas. Cum enim in diversis partibus terræ incæperint diversæ temporum varietates, quia si in nostro hemisphærio erat ver, in opposito erat hiems, in alio autumnus, vel æstas, ita arbores iis diversis regionibus correspondentes, diversimode creatæ sunt, ita ut in aliqua parte habent fructus maturos, ubi erat autumnus, in alia flores, ubi erat ver, in alia nihil ubi erat hiems, etc. Qua ratione convincitur Suarez, lib. II, c. VII, num. XVI, citatque Pererium, et Molinam pro se. Sed ratio non cogit, quia varietas temporum quoad ista temperamenta veris, autumnus, etc. incæpit quarto die cum luminaria cæli facta sunt in tempora, et dies, et annos, ut ipse Suarez admittit capite et sequenti, et est D. Thomæ q. LXX, art. II ad III. Plantæ autem, et arbores tertia die productæ sunt, ergo non est regulanda varietas fructuum in arboribus penes istas temporum varietates. Magis autem textui Scripturæ standum est, quæ dicit producta esse ligna, seu arbores cum semine, semen autem plerumque in ipso fructu est. Et sic ubique cum fructu productæ sunt, licet verum sit quod in regione ubi erat ver, etiam cum floribus deberent produci, ut possent sequenti autumno fructus habere, et sic continuare suas

generationes, et varietates. An vero generaliter mundus in æquinoctiali verno, vel autumnus sit creatus loquendo de primo die, quando nondum erat illa temporum varietas veris, autumnus, etc. dicemus quæstione LXXIV.

XXXI. Cur vero animalia non sint producta in toto mundo, sed tantum duo individua masculus, et femina sicut homines; plantæ autem per totum orbem sint productæ, respondetur illud de animalibus incertum esse, an in sola una parte terræ sint facta, potius enim oppositum dicendum est, cum multæ species animalium ad diversas regiones spectent, ibique nascantur, non in aliis, sicut elephas, et rhinoceros non nascitur in Hispania, sed in Æthiopia, leo, et tigris non nascitur in Germania et nascitur in India, et sic de diversis avibus, et piscibus, licet in qualibet specie istorum duo tantum esse facta verisimile sit. Plantæ similiter diversarum specierum in diversis regionibus productæ sunt, in quibus tantum nascuntur, ut piper, cinnamomum, zinziber, sandalum, et similia, non sunt producta in Hispania, aut Gallia ubi non fructificant, sed in India, vel insulis, et terris adjacentibus, et idem est e converso de aliis plantis quæ apud nos sunt, non apud alios: unde non sufficiebat ex uno loco deportari ad alium, vel converso tales plantas, quia multæ earum ibi non fructificarent. Debuerunt ergo singulæ in suis regionibus produci, et sic totus mundus plantis est consitus. Animalia vero etsi non producerentur in omni parte, possent eo ire, vel deferri, quia sunt se moventia.

De paradiso terrestri aliqui inquirunt an plantatus sit ista die? Verisimile est quod sic ob rationem supra insinuatam, quia Deus producto homine in sexta die tulit illum, et po-

suit in paradiso, ut dicitur capite II. Exprimitur autem ibi quod: *Plantaverat Dominus paradysum voluptatis a principio in quo posuit hominem quem formaverat*; ergo ante sextum diem plantatus est, nec alio convenientiori quam hac tertia die, in qua protulit terra lignum pomiferum, et sic etiam verificatur quod a principio, et multo ante sextum diem plantatus sit.

QUÆSTIO LXX.

DE OPERE ORNATUS QUANTUM AD QUARTAM DIEM.

TEXTUS.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram. Et factum est ita.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. In opere quartæ diei incipit opus ornatus, absoluto, et expedito opere distinctionis. Etsicut opus distinctionis incæpit a superioribus corporibus, scilicet a cælestibus, quia prima divisio fuit inter lucem, et tenebras quæ pertinent ad cælos, ita et opus ornatus incæpit a corporibus cælestibus, nempe a luminaribus, cum dixit Deus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, etc.* Est autem ornatus alicujus corporis proprie id quod ei extrinsecus adhibetur ad compositionem, et apparentiam decentiorem, et non solum ab extrinseco id habet, et ideo ornatus potest moveri in corpore quod ornatur, vel tollendo, vel ponendo, sicut vestimenta in

homine, et tapetes in pariete: ideoque animalia quia sunt extrinsecus se moventia in terra, mari, vel aere, maxime exornant illa. Et in corporibus videmus, quod licet ordo, et distinctio partium quæ ordinantur, et distinguantur in ipso toto pertineat ad perfectionem totius, est tamen perfectio per modum distinctionis tollentis confusionem, non per modum ornatus; hic enim pertinet ad exteriora. Et totum hoc significat Scriptura illis ultimis verbis capite 1: *Igitur perfecti sunt cæli, et terra, et omnis ornatus eorum.* Nomine enim cæli, et terræ intelligitur id quod creatione factum est a principio. In ly autem perfecti designantur opus distinctionis, quæ ordinate, et distincte res disponendo in suis locis, et tollendo confusionem, perficit illas, tribuendo unicuique quod est proprium, et connaturale. In eo vero quod dicit ornatus eorum, designat opus ornatus, quod incepit ab hac die quarta.

II. Præcipua ergo difficultas in hac quæstione est an ipsa luminaria cæli, scilicet sol, luna, et stellæ, quæ in hac quarta die facta leguntur, sint facta quoad substantiam, an solum quoad aliquam accidentalem mutationem. Et dato, quod sit accidentalis mutatio, an sit per receptionem alicujus qualitatis, vel virtutis intrinsecæ per modum propriæ passionis, an alicujus extrinseci, puta alicujus novi motus, aut applicationis, et quomodo hæc applicatio, aut novus motus sufficiat ad verificandum ea quæ Scriptura tribuit luminaribus in hac die, scilicet quod dividant diem, ac noctem, quod luceant super terram, et sint in tempora, et dies, et annos, aut quomodo in his motibus solum consistat eorum ornatus.

III. Quantum ad principalem quæstionem supra quæstionem LXVII

satis ostendimus solem et reliqua corpora cælestia quantum ad substantiam facta esse per creationem in primo instanti, postea autem nihil de cælesti corpore factum esse, quia non est generabile, neque corruptibile, sed solum ex nihilo creabile, licet Molina hic disputatione xv, senserit luminaria cæli solem, et lunam, et hac die quarta quoad substantiam esse facta, quod multis rationibus ibi improbavimus; sed nomine cæli creati, quando dicitur quod principio creavit Deus cælum, et terram, intelligitur totum quod pertinet ad corpora cælestia, sicut nomine aquæ, et terræ totum quod pertinet ad illa elementa: et sicut nihil terræ aut aquæ postea quoad substantiam creatum est, ita neque aliquid de substantia cæli, et multo minus id factum est in cælo, quia natura sua est ingenerabile, et incorruptibile, et multo magis perfectum, quam quodlibet elementum. Dicere autem quod licet natura sua sol, et reliqua astra sint ingenerabilia, tamen præternaturali modo facta sunt per generationem, et non per creationem die quarta, est introducere aliquid contra naturam rerum in ipsa prima et naturali rerum institutione.

IV. Argumentum autem Molinæ deductum ex eo, quod sol, et astra caruerunt usque ad quartum diem virtute influendi in hæc inferiora, ergo et forma substantiali, si quidem virtus influxiva in sole sequitur formam ejus substantialem, sicut passio essentiam, nec potest essentia, et natura produci sine propria passione: hoc jam supra solutum est tractando de luce, quæ etiam se habet ut propria passio, et amplius statim solvetur, tractando an fuerit addita aliqua intrinseca virtus luminaribus quarta die.

V. Ex his ergo, qui solum agnoscunt mutationem accidentalem fac-

tam in luminaribus hac die, quidam existimant hanc mutationem factam esse in luminaribus per aliquam alterationem condensationis, quæ de se est alteratio ordinata ad corruptionem, vel generationem. Alii per collationem virtutis de novo facta, eisque intrinsece inhærentem. Alii per solum extrinsecum motum, novasque inde oppositiones, et aspectus inter ipsos planetas, et astra consurgentes. Priorem modum refert Molina ubi supra, et probabiliorum reputat, existimando, quod cæli, et astra creata sunt in quadam æquali raritate, deinde per condensationem habiliora facta sunt ad ejaculandum lucem, et influentias alias ministrandum. Secundam sententiam videtur sequi D. Thomas hic articulo 1 ad 1, et supra quæstione LXVII, art. IV ad II, docens quod sol prius habuit virtutem illuminativam in communi, postea vero accepit quarta die determinatam virtutem ad particulares effectus. Quæ determinata virtus, videtur aliquid novum esse, et intrinsece receptum in sole, et astris, aut explicari non potest quid sit. Et Bagnez super dicta quæstione LXVII, art. IV, dub. II, ad argumenta, dicit non esse ad mentem D. Thomæ dicere quod solum datum est luminaribus in quarta die novum exercitium, et usus virtutis quam ante habebant, sed ipsamet nova, et specialis virtus data est. Et postea super quæstione LXX, art. I, dub. I, explicat hoc juxta modum dicendi Cajetani quod sol quarta die suam communicavit lucem diversis luminaribus quasi si accenderentur plures candelæ, et sic dicuntur tunc facta, quasi accensa de novo. Quod intelligit Bagnez, non quia tunc primo lucem acceperint astra, cum jam lucerent ex quo sol lucem habebant, sed quod tunc ex sole receperunt in illa luce particulares, et determinatos

influxus, seu virtutes ad particulares effectus. Alii existimant, magisque hoc explicant dicendo, quod lux solis a principio erat informis, hoc est multo minor quam modo, quarta autem die accepit pleniorum lucem, sicque potuit et luna, et reliqua astra illuminare perfecte, quod ante non poterat. Quam sententiam Carthusiano, et Pererio tribuit Suarez lib. II, cap. VIII, num. XI. Tertiam sententiam sequitur ipse Suarez ibi num. XVI, videlicet hac quarta die solum tribuisse Deum planetis, et luminaribus novos motus, et aspectus, unde resultant novæ influentiæ, et varietates temporum in his inferioribus. Et fundamentum est, quia virtutes quæ sunt qualitates intrinsecæ sunt propriæ passionis in sole, et stellis, quæ non possunt connaturaliter abesse a suis propriis subjectis. Quia vero hoc instatur in ipsis motibus, qui etiam se habent ut propriæ passionis cælorum. Negat esse proprias passionis ab intrinseco emanantes, sed solum ab extrinseco receptas, ideoque licet cælum habeat inclinationem passivam ad illos, carere tamen aliquantulum illis non est contra ejus naturam, sicut carere, seu impediri in emanatione propriæ passionis ab intrinseco convenientis, et emanantis.

VI. In hac re dicendum est, primam sententiam non esse admittendam; secundam vero et tertiam si recte explicentur, esse ipsam sententiam D. Thomæ et veram. Prima pars probatur, quia licet verum sit in cælis quædam corpora, vel quasdam cæli partes esse rariores, et alias densiores, ut in ipsa luna clare videtur, et stellæ ipsæ densiores sunt aliis cæli partibus diaphanis, unde et lucem ejaculantur, quod sine densitate fieri non potest; attamen densitas ista, vel raritas est ipsis cælis innata, et sine

mutatione adveniens, sed a principio conveniens, eo quod si per alterationem adveniret, esse cælum capax alterationis talis qualis est illa quæ disponit ad generationem, et corruptionem, alteratio autem condensativa ad generationem, et corruptionem disponit, ergo si cælum est capax illius, est alterabile, et disponibile ad corruptionem; ergo corruptibile, quod stare non potest in hac sententia. Quare non negamus cælum admittere hanc dispositionem diversæ raritatis, et densitatis in diversis partibus, sed dicimus illam, sicut et cæteras dispositiones, et proprietates præsertim ad quantitatem pertinentes, quæ valde immutant substantiam, ut figura, densitas, raritas, etc. convenire sibi immutabiliter, et incorruptibiliter a principio. Deinceps vero immutari in illis per alterationem, sive fiat hæc alteratio a contrario agente, sive ab ipso Deo ejus auctore, non est connaturale cælo, quia inalterabile est, sicut et incorruptibile.

VII. Secunda vero pars probatur, supponendo (id quod certissimum est) in hac die quarta aliquid novum esse factum circa solem, et luminaria, quod aliis diebus nondum factum erat, nec dici posse hanc narrationem quartæ diei solum esse recapitulationem ejus, quod prima die factum est circa solem faciendum in eo lucem. Hoc enim esset invertere totum ordinem, et historiam hujus capituli Genesis, in quo per sex dies narratur factum, et dispositum esse hoc universum; si autem quarta ista dies vacavit, ita quod in ea factum est nihil, sed solum est recapitulatio quædam primi diei, non sunt sex dies, quibus factus est mundus, sed quinque. Nec ratio aliqua afferri potest, cur magis id quod isti diei attribuitur sit recapitulatio, quam id quod aliis diebus factum legitur, et

sic nihil certi circa hos dies ex Scriptura haberetur. Hoc ergo supposito, quod vere aliquid factum est videlicet ornata sunt, cum adhuc circa luminaria in hac die, quia per tres priores dies esset aliquo modo informia, iste ornatus reduci- tur, vel ad aliquas qualitates quas de novo acceperit sol, et stellæ, vel ab aliquos novos motus. Nam sicut aer, et aqua, et terra adornata sunt quibusdam moventibus illis superadditis, scilicet avibus, piscibus, animalibus, ita cæli exornati sunt non moventibus, sed motibus, quia cum sint corpora superiora, a quibus inferiora hæc disponuntur, et reguntur, magis eorum ornatus est activus, scilicet in agendo erga alios, et benefaciendo, et ornando illos, quam passivus in exornando se. Si ergo loquamur de qualitatibus quas de novo accepit sol, in primis excludenda est illa ultima explicatio secundæ sententiæ, quod in ista quarta die acceperit sol lucem majorem, et perfectiorem, quam habuerit in prima die, vel novam figuram, aut pulchritudinem. Hoc dici non potest, quia lux connaturalis, et debita soli, est lux in summo, et talis qualem nunc videmus, et talis quæ possit diem facere effugando tenebras. Lux autem quæ data est soli in primo die fuit lux quæ fecit diem, ut constat ex textu: *Appellavitque lucem diem*; fuit etiam lux propria, et connaturalis soli, ergo hoc ipso quod dabatur soli, debuit dari illi in summo, quia sic est ipsi debita, et connaturalis, nec erat ulla ratio, vel fundamentum quare tunc dimidia ex parte daretur, cum sol, et cælum suas perfectiones exigat habere immutabiliter, ita quod in instanti quo ei debentur, et dantur, perfecte, et immutabiliter dantur, quia hæc est connaturalitas rerum incorruptibilium ut id quod sunt, et quod eis debetur et datur, in statu

perfecto, et immutabili detur quando datur; imo et igni calor, et humiditas, vel frigiditas aquæ statim a principio data est in suo statu perfecto, cur ergo non similiter lux soli pro omni sua parte, et in omni intensione debita?

VIII. Quare istæ virtutes, seu qualitates si datæ sunt quarta die, de novo datæ sunt, non priores augmentatæ. Et si non sunt lux (quæ nobis manifesta est) sunt qualitates aliquæ occultæ quas habere solem, ex effectibus colligimus, quia multa facit in hoc mundo præter illuminare, eas tamen distinctas esse a luce illa solari (quæ prout in sole eminenter est multiplex) nobis non constat. Et ideo, quæ qualitates de novo additæ sunt præter lucem quam jam habebat, difficile est explicare.

IX. Qurare D. Thomas cautissime in hac parte procedens dixit in duplici loco, soli primo die collatam esse lucem quoad virtutem illuminativam in communi, sed postmodum datam esse determinatam virtutem ad speciales effectus, ut patet supra quæstione LXVII, art. IV ad I, et in hac quæstione LXX, arti. I ad I. Postea autem magis explicans, quæ sit hæc determinata virtus, quomodo ly determinata, intelligendum est, et quid sit illa virtus illuminativa in communi docet: « Quod in prima die facta est communis distinctio temporis per diem, et noctem secundum motum diurnum qui est communis totius cæli, qui potest intelligi incepisse primo die. Sed speciales distinctiones dierum, et temporum secundum quod dies est calidior die, et tempus tempore, et annus anno, sunt secundum speciales motus stellarum, qui possunt intelligi quarto die incepisse. » Ita dicit S. Thomas in hac quæstione LXX, art. II ad III. Et idem docet supra quæstione LXVII art. IV ad III, ubi per motus communes pro-

prios explicat communes effectus distinctionis diei, et noctis, et proprios diversitatis dierum, et temporum, et annorum. Cum ergo vis illuminativa in communi solum fecerit communem distinctionem diei, et noctis, et virtus determinata ad speciales effectus faciat diversitates istas annorum, et temporum, manifestum est quod virtus in communi et virtus determinata apud D. Thomam est idem quod virtus applicata secundum communem motum diurnum, qui facit distinctionem communem diei, et noctis, et virtus applicata secundum motus, et aspectus particulares, quæ facit varietates istas temporum. Unde non est separandum in sententia D. Thomæ id quod dicit de virtute in communi, et virtute determinata ad speciales effectus, ab eo quod dicit de motu communi, et motibus propriis secundum quos fit ipsa determinatio, et applicatio virtutis. Et Suarez attribuens D. Thomæ sententiam de additione determinatæ virtutis quasi sit nova qualitas superaddita quarta die, debuisse attendere ad alia duo loca relata, ubi determinationem illam virtutis, et communem vim illuminandi explicat per communes, et proprios motus ex quibus talis determinatio virtutis potuit resultare.

X. Dicimus ergo juxta superius resoluta de luce solis quæstione LXVII, quod tam lux, quam determinata illa virtus non sunt proprietates solis in ordine ad se, sed in ordine ad agendum in hæc inferiora, si consideretur lux in eo statu, et modo quo convenit soli, scilicet ut lux fecunda ad alterandum, et movendum hæc inferiora ad suas generationes, et corruptiones. Sol autem et astra, et cælum ipsum non est activum in hæc inferiora, nisi supposito motu, cessante enim motu cæli, cessabunt omnes illæ influentiæ in hæc infe-